



107e

T. O. 590.





Fortunante Christo!
EXERCITATIONUM ETHICARUM
Ad Ethica Arist. ad Nicomachum
PROOEMIALIS
DE
PRÆCOGNITIS
ETHICES,

Præside
DN.

FRIDERICO CAHLE-
NO, M. & P. L. C. Gymn. Hall,
Rectore celeberrimo,

Respondente
MICHAELE ALBINO
Gedanensi Borusso,
E Gymnasio hinc abituriente
Habenda. D. IV. IDUS MARTIAS
A. O. R. M. DC. LV.

In majori Auditorio horis
ante meridianis.



Literis Salfeldianis.

VIRIS

*Magnificis, Nobilissimis, Admodum
Reverendo, Amplissimis,
Excellentissimis*

Dno. ADRIANO à LINDA,
Reip. Patriæ p. t. Præsidi
Gravissimo.

Dno. NICOLAO von Bodeck/
Reip. Gedanensis Pro-Cos. Consul-
tissimo atq; Spectatissimo.

Dno. JOHANNI MAUKISCHIO,
SS. Theol. D. Gymnasiarchæ Geda-
nensi Famigeratissimo.


*Reipublicæ Gedanensis Luminibus Splen-
didissimis, Patriæ Patribus
meritissimis,*

Dnn. Patronis & Promotoribus
benignissimis, ac religioso animi
cultu per omnem vitam deve-
randis, hasce studiorum primitias
in debita observantiæ & gratitudi-
nis τεκμήριον D.D.D.

Devotus Cliens

MICHAEL ALBINUS

Gedano Borussus.



Ω ΘΕΟΣ ΗΓΕΜΟΝΕΤΕ!

PRÆLOQUIUM.

Duo sunt, quibuscum post primam prævaricationem colluctandum nobis est, hostes infensissimè nos oppugnantes, ἀγνοια, καὶ ἀλαξία, inscitia nimirum, & morum perversitas: sed quibus divino munere expugnandis *Philosophia* modum ac medium non unum ostendit. Veri namq; ignorantiam, quo altera, eaq; princeps animæ nostræ facultas, intellectus laborat, teste *Arist. l. 2. Metaph. c. 1.* propellere altera ejus pars, scil. *Theoretica* nititur, quæ in contemplatione posita, animum variarum rerum scientiâ imbuunt in sui perfectionem. *Malitia* verò, quæ appetitus rationalis arcem invadere sæpius audet, propulsandæ arma subministrat altera *Philosophiæ* pars, *Practica* dicta, quæ in actione consistens, appetitum in

um
f/
sul.
O,
da-
en-
bus
imi
ne-
tias
di-
TUS
Rus.

2.

moderandis affectibus providum facit, & prævinitum, ne turpiter victus vitio succumbat. Morum verò ritè conformandorum doctrinam, à juvenibus præsertim non omni iudicio & rerum usu destitutis apprimè cognoscendam, hujus posterioris pars ea, quam vocant ETHICAM, cum præprimis polliceatur, optimum in his castris ducem *Aristotelem X. Libb. Ethicorum ad Filium Nicomachum* scriptis [quos *scriptum planè divinum* meritò appellat, Petrus Victorius, Philosophus olim nulli secundus, cit. D. Jac. Mart. præf. Syn. Ethic.] secuti, eam per *Ἰστορίαν καὶ ἐκθεσίαν* breviter in commodum florentioris Juventutis Gymnasii nostratis comprehensam, explicare constituimus. Fiat ut ex voto, TU, DEUS ALME, juva!

THESIS I.

Precognita Ethices sunt vel generalia, vel specialia. Illa totam Philosophiam Practicam; hæc, in specie Ethicam concernunt.

ἐκ-

ἔκθεσις.

Cum juxta Philosophissimi Stagiritæ effatum I. I. poster; c. I. *πᾶσα διδασκαλία, καὶ πᾶσα μάθησις διανοητικὴ ἐκ προϋπαρχούσης γνώσεως γίνεσθαι:* h. e. Omnis doctrina & omnis disciplina ratiocinativa fiat ex antecedente cognitione, iccirco antequam præcepta Ethica pertractanda sumamus, *ἔνθεν* *ἡ σοφίας* lex flagitat, ut in Præcognitis, tum Generalibus, tum specialibus explicandis aliquid operæ ponamus, & ita à cognitione confusâ ad magis distinctam procedamus. Cognitâ siquidem naturâ Totius, rectius quoq; partes cognoscentur. Generalia Præcognita continent Philosophiæ Practicæ tum *Definitionem*, tum *Divisionem*, quibus subnectuntur quædam *Consectaria*.

TH. II.

Philosophia practica est pars Philosophiæ posterior, facultates animi appetentes informans, ad verum bonum civile consequendum, & juxta illud honestè vivendum.

&
uc-
an-
tim
tis
oris
præ-
stris
Fili-
lanè
to-
cit.
per
flo-
atis
nus.
ya!

nes
to-
am;
unt.
ἐκ-



Definitum est *Philosophia*, & quidem *practi-*
ca: ubi præsупponimus Philosophiæ in suâ
 latitudine cognitionem, ejusq; naturæ &
 constitutionis pertractationem peculiari for-
 tean Disquisitioni reservamus, consideran-
 tes hac quidem vice alteram ejus partem,
 videl. *practicam*, quæ sic dicitur 1. tum *ab*
objecto, quia circa τὰ πρακτὰ, i. e. *actiones*
hominum liberas, quatenus ad honestatem sunt
 dirigendę, versatur: 2. tum *â fine*, qui est
 πρᾶξις seu actio, juxta Philosoph. l. 1. *Ethic.*
Nicom. c. 3. *Genus* est *pars Philosophia*,
 etenim ad Philosophiam totam, quæ in
 Theoreticam & Practicam dividitur, tan-
 quam pars ad suum totum integrale refer-
 tur. *Differentia* constat 1. *proprio*: quòd sit
 pars *posterior*, scil. respectu prioris Theore-
 ticę, idq; partim quia naturâ prius est con-
 templari, quàm agere: partim ratione Sub-
 jectorum, quia Theoretica præstantiorem
 animæ facultatem τὸ γνῶσθον, intellectum;
 Practica verò τὸ ὀρεκτικόν s. appetitum tum
 rationalem, tum sensitivum informat.
 2. *Subiecto*: quod est *Appetitus*, & cumpri-
 mis

mis sensitiv9, utpote in quem perturbationes
 propriè cadunt. 3. *Fine*, qui est *ho-*
nesta & beata vita, sive *εὐπραξία* &
εὐδαιμονία. Quoad *Synonymiam* tenen-
 dum, dici illam à Stoicis *Ethicam*, qui to-
 tam Philosophiam in tres partes herciscere
 soliti fuerunt, in *Φυσικὴν, ἠθικὴν & Λογικὴν*:
 Aristoteles frequenter totam Philos. practi-
 cam solet appellare *Politicam*, i. *Ethic. Ni-*
com. c. 3. & eod. l. c. 9. 1. Magn. Moral. c. 1.
Rhetor. ad Theodect. c. 4. rationem appel-
 lationis subjungens i. *Eth. Nicom. c. 10.*
 Solet verò & sic definiri: *Philosophia practi-*
ca est prudentia appetitum hominis informans
ad consequendam honestis actionibus felicita-
tem civilem.

TH. III.

Dividitur *Philosophia practica*,
 in *Communem & propriam*
partem.

ἐκθεσις.

Alii generalem & specialem vocant, sed
 eodem sensu. *Communis* tradit *generalia de*
officio viri boni præcepta, sine respectu ad cer-
 tum aliquem statum aut ordinem in vitâ
 humanâ: & dicitur *Ethica*. *Specialis* præce-

pra illa certis societatibus & statibus in Re-
 publ. & familiâ applicat ad consequendam
 in singulis felicitatem. Et hæc duas habet
 species, Politicam, quæ est prudentia actio-
 num civilium dirigendarum ad felicitatem
 Reipubl. Et Oeconomiam, quæ est pruden-
 tia actio- num domesticarum, dirigendarum ad
 sufficientiam. Quam divisionem insinuat
 ipse Aristot. l. 4. Polit. c. 11. Confer Theo-
 dor. Zwingerum præfat. Commentar. in libb.
 Ethic. Nicomach. Piccolomineum Introd. Phil.
 moral. c. 7. Jac. Mart. Synops. Eth. l. 1. c. 2.

TH. IV. CONSECTARIA.

I. **P**hilosophia Theoretica & Practi-
 ca inter se differunt quatuor po-
 tissimum modis:

ἐκθεσις.

Differunt enim 1. *Subiecto*. Quia Theoreti-
 ca perficit animi humani facultatem ἐπιση-
 μονικὴν, seu intelligentem: Practica verò ὀρε-
 κτικὴν, seu appetentem. 2. *Objecto*. Illa
 spectat τὸ ἀληθὲς, s. verum, & versatur circa
 Ens necessarium; Hæc verò τὸ ἀγαθὸν s. bo-
 num, & occupatur circa contingentia.

Ethic. c. 9. 3. *Fine ω, f. cui;* Illa ad cognitionem veri provehens expellit *την ἀγνοίαν*: sive incitiam: hæc actionem honesti inculcans, ejicit *την ἀλαξίαν*, sive malitiam. 4. *Fine ε̄ f. cuius;* illa intendit *θεωρίαν* f. contemplationem, hæc vero *πράξιν* f. actionem.

TH. V.

2. **P**hilosophia practica præstantior est Theoreticâ, & non est præstantior, diversimodè considerata.

ἐκθεσις.

Præstantia rei alicujus dupliciter considerari potest. 1. *ἀπλῶς* & absolutè; 2. *ῥηθικῶς* & relatè.

Absolutè igitur præstat Theoretica. 1. *Objecto*. 2. *Subiecto*. & 3. certitudine *Demonstrationum*, sicut patet ex θ. præced. Respective verò præstat Practica, quia magis necessaria homini in civili vitâ constituto; magis quoq; fructuosa, quia ab eadem dependet pacis publicæ & societatis humanæ conservatio. Hinc Stoici compararunt Logicam sepimento; Physicam arboribus; Ethicam fructibus

A5

TH.

3. **P**hilosophia Practica prius est cognoscenda, quàm Theoretica.
ἐκθεσις.

Ita rentur multi, nobiscum facientes, non infimæ caveę Philosophi, *Themistius*, *Eustathius*, *Chrysippus* apud *Plutarchum* lib. de *Contrar. Stoicor.* *Petrus Martyr* & alii. Contrarium volentibus *Colleg. Conimbr. Piccolomineo*, *Simonio*, *Pererio* & aliis. Nos hic distinguimus: *Theoretica* prius cognoscenda est prioritate *naturæ & dignitatis*: *Practica* verò prioritate *necessitatis facilitatis & utilitatis*. Vide præter *Aristot.* 1. *Metaph.* c. 1. *Pererium* l. 1. *Eth.* c. 4. *Golium* præfat. *Ethic.* p. 2.

4. **P**hilosophia practica Theologo futuro est necessaria.
ἐκθεσις.

Et hoc quidem 1. propter *terminorum Ethicorum* in *Theologiâ* occurrentium, v. g. *Virtutis*, *justitiæ*, *temperantiæ*, *boni & mali*, *amicitiæ*, &c. *cognitionem*, & *distinctionem*. 2. *Quarundam questionum*, v. g. de
no-

9.
notitiis innatis, de libertate arbitrii &c. solidiorem *decisionem*. 3. *Decalogi*, cui cum præceptis Ethicis magna est convenientia, *expositionem*. 4. *Populi commonefactionem*, argumento à majori ducto: Si Ethnicis tantum virtutis fuit studium, quid Christianos decere putemus? 5. *D. Pauli & Patrum imitationem*. Ille enim Act. XVII, 28. 1. Cor. XV, 31. Tit. I, 17. & alibi multa allegavit moralia: Hi verò passim in Scriptis suis admiscuerunt, uti patet ex Tertulliano, Cypriano, Lactantio, Augustino, Gregorio Magno, & aliis.

TH. IIX.

5. *Jurisconsulto quoque necessaria est Philosophia practica.*

en. 9.

1. *Ob Principiorum cognitionem*. Nam, juxta vulgatum illud: Ubi desinit Ethicus, ibi incipit ICT 9: Et quod ille in thesi, hic in hypothesis tractat. 2. *Ob finis præcognitionem*, quem qui negligunt, sectantur rivulos, neglecto fonte, uti loquitur *Piccolomin. Grad. I. c. 10.* 3. *Ob legum interpretationem*; Harum enim causa est inquirenda, quæ velut anima
ma

10.

ma est legis, quod fieri nequit, sine Practicæ Philosophiæ cognitione. *Jurisprudencia* enim juxta Ciceron. l. i. de Legib. *non è Prætoris edicto, neq; ex XII. Tabb. sed penitus ex ipsâ Philosophiâ haurienda est.*

TH. IX.

Inter Philosophiæ Practicæ partes præcedere debet Ethica.

ἐκθ.

Præcedit utiq; rectè ordine natura & doctrina: quia continet præcepta universalia reliquis partibus inservientia. Huic succedit Oeconomica, cùm homo prius in familiâ sit informandus, quàm Reipubl. offerendus: & deniq; Politica, quæ ad rectam Reipubl. administrationem præcepta priorum prærequirit. Sed ordine dignitatis Politicam præcedere largimur, sequi Oeconomicam, & demum Ethicam. Quia publicum civitatis bonum est præstantius privato: Et quia Arist. Politicam vocat κυριοτάτην ἔμμελις ἀρχιτεκτονικὴν, dominam & maximè architectonicam, siquidem reliquorum fines ad hanc diriguntur, & ipsa reliquis modum ac rationem præscribit. Hactenus Præcogni-

cognita Generalia. Sequuntur *Specialia* in ipsi-
us *Ethica* *Definitione*, *Divisione* & *Conse-*
ctariis itidem consistentia.

TH. X.

Ethica est prudentia actionum hu-
manarum dirigendarum per vir-
tutem ad S. Bonum.

ἠθικός.

Hic explicandum breviter tum *Definitum*,
tum *Definitio*.

Quoad illud notanda 1. *Etymologia*.
Dicitur *Ethica* 1. vel ἀπὸ τῆς ἠθικῆς, à *moribus*,
partim *ab objecto*, quia circa mores, i. e.
actiones hominum liberas informandas oc-
cupatur, *partim à fine*, qui est recta morum
civilium, vel actionum moralium confor-
matio: 2. vel ἀπὸ τῆς ἔθικῆς, à *consuetudine*, *lib.*
2. Ethic. c. 1. tanquam causâ efficiente: quia
virtutes morales consuetudine comparan-
tur, *lib. 10. ad Nicom.* 2. *Homonymia*.
Sumitur vox *Ethices* bifariam (1.) *Generaliter*,
pro totâ Philosophiâ practicâ, more
Stoicorum, *Laert. l. 1. in vit. Zen. Cic. Acad.*
Q. & l. 1. de Orat. (2.) *Specialiter*, pro primâ
&

& generali Philosophiæ practicæ parte, à reliquis duabus, Politicâ & Oeconomicâ multis modis distinctâ, uti ex superioribus patet. Porrò Ethica considerari potest vel *Systematicè*, pro comprehensione præceptorum Ethicorum in libro; vel *habitualmente*, pro perfectâ qualitate in mente, exerente sese per virtuosas actiones. Solet etiam Ethica considerari; vel *abstractivè*, pro habitu mentis, in se sine Subjecto considerato; vel *concretivè*, quatenus est in hoc vel illo homine. 3. *Synonymia*. Dicitur ab Aristot. l. 1. Magn. Mor. 1. *tractatio de moribus*; item *θεωρία ἠθικὴ* notitia de moribus l. 1. post. Anal. c. 33. *πολιτικὴ*, *politica* l. 1. Ethic. Nicom. c. 2. tum *à fine*, quia omnia præcepta Ethica ad communem beatitudinem civilem diriguntur; tum *à subjecto*, quia potissimum in civitatibus morum viget civilitas; tum deniq; *ab effectu*, quia omnes societates civiles conservantur per virtutis studium. Piccolomineus vocat eam *Philosophiam civilem*; Alii *Philosophiam moralem*, *Disciplinam morum* &c. Vid. *Jac. Mart.* l. 1. Eth. c. 3. p. 10. Haec tenus Definitum: Sequitur

tur Definitionis evolutio, quæ constat 1. *Genere.* 2. *Objecto.* 3. *Subjecto.* & 4. *Fine.*

TH. XI.

Genus Ethicæ rectè statuitur prudentia.

ἐκθ.

Prudentia namq; de Ethicâ, Politicâ & Oeconomicâ, tanquam de pluribus specie differentibus prædicatur in quid, E. erit Genus. 2. Quia competit Ethicæ definitio *Prudentia*: quæ est *habitus mentis electivus circa ea quæ bona vel mala sunt homini.* 6. Eth. c. 3. Nam Ethica instruit hominem, ut eligat virtutem & summum bonum &c. quæ ipsi bona, & fugiat vitia, quæ ipsi mala. E. ipsi competit quoq; definitum, eritq; Prudentia. 3. Quia nullus alius habitus ex quinq; illis ab Aristotele loc. cit. enumeratis ipsi rectè tribui potest, præter Prudentiam.

Qui vero Generis loco ponunt *partem Philosophiæ practicæ*, illi quamvis non sint omninò improbandi, tamen hoc nostrum Genus meritò præferendum putamus.

Nam in assignando Genere Disciplinæ alicujus, ipsa consideranda est *absolutè*,
non

14.

non verò, ut est pars alterius, ac propterea pars non potest constituere Genus ipsius, sed aliud quoddam, quod habet naturam magis absolutam. Sic licet verum sit, Physicam esse partem Philosophiæ Theoreticæ: nemo tamen facilè, in definiendâ Physicâ constituit ejus Genus partem Philosophiæ theoreticæ, sed aliud inquit genus absolutum, nempe Scientiam. Idem judicium esto de genere Ethices constituendo. A Genere Ethices participatione penitus rejicimus Scientiam & Artem, prout in συζητήσεις demonstrabitur uberius.

TH, XII.

Subjectum Ethices aliud est inbasionis, aliud operationis.

ἐκβάσις.

Materia communiter triplex à Philosophis statuitur: Ex qua, in quâ, & circa quàm. Materiam ex quâ Ethica nullam habet, siquidem est accidens, nempe habitus, quales materiam ex quâ non habent. Materia in quâ, sive Subjectum inbasionis Ethicæ duplex est, quod & quo, uti loquuntur Philosophi, Illud est homo Ethicus; hoc est intellectus

ho-

hominis, cui Ethica immediatè inest, & hoc mediante etiam homini. Est enim habitus mentis. *Subiectum operationis*, sive *materia circa quam*, vulgò *objectum Ethicæ* geminum est, *Materiale*; & sunt *actiones humana* spectatæ in genere moris. (Nominè actionum humanarum intelligimus non merè naturales, & necessarias in naturâ, sed liberas, & ab electione profectas.) *Formale*; quatenus sunt *directa ad S. Boni consecutionem*. Sive: *Objectum Ethicæ est homo in communi*, quatenus *civiliter beandus est*.
 1. Est enim id, in quod finis & forma Ethicæ est introducenda. 2. Uti objectum Medicinæ est homo, quatenus sanitas in eo vel efficienda, vel conservanda: Ita Objectum Ethicæ est homo, ut efficiendus est beatus: Nam ut ars medendi est medela corporis, sic Ethica est medela hominis. *Vid. Willebrand. Disp. 1. de Philos. Pract. Arnisaum in proæm. politica.*

TH. XIII.

Finis Ethicæ duplex est, *internus*, *animum virtutibus imbuerè*; & *externus*, *beatitudinis consecutio*.

rea
 sed
 na-
 yfi-
 cæ:
 ficâ
 hiæ
 plu-
 um
 Ge-
 ici-
 hœ
 sio-
 phis
 Ma-
 qui-
 ales
 ia in
 plex
 phi,
 ctus
 ho-

ἐκθεσ.

Quia propterea præscribuntur morum honestorum & virtutum præcepta, ut Ethicus specialiter & propriè sic dictus, aliquis evadat, h. e. *secundum virtutem agat, adeoq; summi boni demum compos fiat*, sive ut consequatur τὸ εὐδαιμόνως ζῆν, i. e. vitam beatam. Probatum porrò: quia à felicitate tanquam à fine dependet ipsa constitutio & perfectio Ethices, more omnium disciplinarum practicarum. *Zabar. l. 1. de nat. Log. c. 15. 2.* quia hic finis in materiam subjectam ab eo, qui operatur, per media certa est introducendus. 3. quia omnia media, v. g. in Ethica Virtutes felicitatem, tanquam ultimum finem respiciunt. Haec tenus Definitio Ethicæ. *Sequitur Divisio*, tum Ethicæ, in genere, tum in specie Ethicæ Aristotelis. ad Nicomachum.

TH. XIV.

Dividitur Ethica in duas partes:
 εὐδαιμονολογίαν, s. de summo bono:
 ἠρεσιολογίαν s. de virtutibus.
 ἐκθεσις.

Ethicam, veluti totum, aliquod integrale,
 di-

disperſimus ita in partes ſuas non propriè ſic dictas & quantitativas, ſed analogicas; quæ diviſio petitur à fine Ethicæ. Cùm enim hîc duo ſint præcipuè attendenda, Finis & media ad finem ducentia, iccirco prius pertractatur in εὐδαιμονολογία, poſterius in ἀρετολογία. Sunt igitur hæc membra dividenda diviſo adæquata, & cum eo conſentiunt, inter ſe verò diſſentiunt, quæ bonæ Diviſionis nota eſt. Ut verò conſtet etiam de ordine & argumento X. Librorum Ethicorum Ariſtotelis ad filium Nicomachum, ſequentem ſubjicimus ἀκιαγραφήαν:

TH. XV.

Traçtatus Ethicus Ariſtotelis ad Nicomachum filium continet tum generalia, tum ſpecialia.

ἐκθεσις.

Illæ ſunt de Fine ſcil. ſummo bono, lib. 1. Hæc de mediis ad finem ducentibus, quæ ſunt virtutes; de quarum agitur partim naturâ, partim affectione. Natura innotefcit tum ex cauſis ſive principiis, tum ex ſpeciebus. Cauſe virtutis vel ſunt remota, num videl. naturâ, doctrinâ aut aſſuefactione comparetur,

B 2

lib.

18.

lib. 2. vel sunt *proxima*, sc. *Spontaneum & invitum l. 3.* *Species* virtutum vel sunt *absq̄ gradu*, vel *cum gradu*. *Absq̄ gradu* sunt vel *morales* virtutes, vel *intellectuales*. *Morales* sunt vel *Simplices*, ut *Fortitudo*, *Temperantia*, *Liberalitas &c.* undecim numero, *lib. 4.* vel *Complexa*, ut *Justitia*, *lib. 5.* *Intellectuales* tam *perfectæ*, quàm *Imperfectæ* *lib. 6.* *Cum gradu*, de *Imperfectis* virtutibus, ut & virtute *Heroicâ*, *lib. 7.* *Affectio* virtutum est *Amicitia*, de cuius agitur tum *naturâ* *lib. 8.* tum *affectioibus* seu *consequentibus* *lib. 9.* *Specialia* habentur, de *summo bono* *Theoretico*, ut & *consequente* *Voluptate* *lib. 10.* & *ult.*

CONSECTARIA SPECIALIA.

TH. XVI.

I. **M**odi proponendi præcepta *morum* apud *veteres* fuerunt præcipuè *quatuor*.

ἐκθ.

1. *Erat γνωμολογικός*, quo præcepta illa *brevibus sententiis* & *proverbiis* includebant; inde sunt *Apophthegmata* & *sententiæ veterum*

20.

quâ lex moralis non essentialiter, sed accidentaliter scil. gradu tantum differt. 3. quia *utilissimum habet finem*: Intellectum enim perficit, appetitum compescit, affectum frangit, & ad virtutis habitum perducit, quæ ut maturè fiant, multum omninò refert.

4. Quia non desunt *Exempla & testimonia Magnorum & doctorum virorum*, idem suadentia, vid. Apolog. August. Confess. Meitn. Phil. Sobr. p. c. Et in prolegom. 2. de S. B. quæst. 8. Sagittar. Exerc. 1. Exoter. 5. quia deniq; *Ethica non pugnat cum Theologia*, tam ratione præceptorum, quàm ratione usus; sed eidem est subordinata: neq; verò addiscitur, ut sit norma pietatis Christianæ, sed ut sit nervus societatis humanæ.

TH. XIIX.

3 **E**thica tradenda est methodo
analyticâ.

ἔκθεσις.

Est enim disciplina practica, & progreditur à fine ad media, ab effectu ad causam &c. quod est hujus methodi proprium. Duplex enim ordo est Materialiter consideratus;

συνη

συνθετικὸς i. e. *Compositivus*, (Nam formaliter accepta Methodus, prout est Instrumentum Logicum illativum, est una tantum & simplex:) qui progreditur à simplicibus ad composita, à causis ad effecta, à principiis ad principiata, à mediis ad finem: Et ἀναλυτικὸς i. e. *resolutivus*, qui ordine inverso progreditur. Et hoc constant disciplinæ practicæ, adeoq; ipsa etiam Ethica. Nam ibi à fine, h. e. Summo bono progreditur Aristot. ad media, h. e. Virtutes. Tum quia in Ethica incipimus à notioribus nobis, h. e. à singularibus ad universalialia.

TH. XIX.

4. **N**ullus, nisi Aristoteles, est autor
X. Librorum Ethicorum ad
Nicomachum.

ἐκθεσις.

Fuerunt, qui negativam tuerentur, Cicero l. 5. de Fin. Franc. Patricius Discus. Peripat. tom. 1. l. 3. p. 25. Et l. 4. p. 24. Plures tamen nobiscum faciunt pro parte affirmante; Acciajoli in Proæm. Piccolomineus Introd. c. 13. Conimbricens. in princ. disp. Eth. Riccobonus
B 4 pref.

praf. quast. 6. Gifanius & Petrus Martyr.
comment. l. 1. Ethic. 1. quia hoc evincit ipse
titulus, qui talis: ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΗΘΙΚΩΝ
ΝΙΚΟΜΑΧΕΙΩΝ: ARISTOTELIS ETHI-
CORUM NICOMACHEORUM. L. I. & c.
 2. quia ipsemet hoc autor comprobat indi-
 ciis haut obscuris, dum l. 10. in fin. promit-
 tit Libros de Republ. l. 1. c. 6. Socratem &
 Platonem amicos vocat. l. 6, c. 3. Lectorem
 ad poster. Analytica remittit. Et l. 1. Metaph.
 c. 1. eundem ad lib. 6. Ethicorum ablegat:
 quæ omnia nihil ad Nicomachum. 3. quia
 inventio, methodus, phrasis ac probandi
 ratio planè redolet acumen Aristotelicum.
 4. quia Veterum ac recentiorum ferè omni-
 um consensu est comprobatum. Quod ve-
 rò inscribuntur ETHICA NICOMACHEA, factum
 id est ab interpretibus, vel quia Libri
 isti Nicomacho filio ipsius sunt inscripti,
 sicut eadem ratione Eudemum & Theode-
 cten amicos suos celebrari voluit, vel ut à
 reliquis duobus scriptis Ethicis ipsius distin-
 guerentur. *Vid. Zuvingerus in prafat. Ethic.*
Aristotel. Nam Aristoteles (ut in gratiam
 discipulorum hoc addamus,) XX. Libros
 Ethi-

Ethicos scripsit: X. ad Nicomach. VII. ad Eudemum. II. Magnorum Moraliū. Et I. de Virtutibus & vitiis.

TH. XX.

Ethica conducit bonis & malis.

ἐκθεσις.

Illis, ut pergant, his, ut desinant: illis, ne lassentur; his ut convertantur. Nemo enim tam perfectè bonus est, qui non melior reddi queat: & nemo tam malus, qui non resipiscere possit, quod vel *Polemonis* adolescentis perditum, apud *Valer. Max. lib. 6. c. 9.* exemplum evincit.

TH. XXI.

Ethica non informat hominem privatam, sed hominem in communi vitâ consideratum.

ἐκθεσις.

Homo enim dupliciter considerari potest,
1. *absolutè*, & sine certo vitæ statu ac ordine.
2. *respectivè*, quatenus in societate aliquâ civili est constitutus. Priori modo ipsum considerat Ethica, non posteriori. Nam justè,

B 5

li-

24.

liberaliter, & temperanter vivere, vera loqui, comem ac humanum esse decet omnem omninò hominem in societate humanâ, & non solum in civitate vel familiâ constitutum. Ergò etiam Ethica, quæ istam vivendi rationem docet, ad hominis in communi vitam & mores pertinebit. *Vid. Nicolaum d' Orbellis de Franciâ. Horn. Disp. Eth. proæm.*

TH. XXII.

In Ethicis non dantur Demonstrationes, propriè sic dictæ, sed tantùm analogicæ.

ἐκθεσις.

Contrarium statuit *Keckermannus l. 3. System. Log. c. 14. § 6.* Verùm quia hæc doctrina Ethica est tantum rerum contingentium & probabilium, [ἡνωῶς ἐπὶ τὸ πολὺ] quæ sunt τὰ πρακτὰ, i. actiones humanæ, variæ & incertæ, quarum non datur certa scientia, ideò non admittit τὰκριβῆς, sive accuratas & exquisitas Demonstrationes, ut Disciplinæ Theoreticæ, sed satis habet παχυλῶς καὶ ἐν τύπῳ τὰλυθῆς ἐνδείκνυσθαι, quod est analogicè demonstrare. *Vid. Jac. Zabarella l. 3. de Method. c. 10.*

TANTUM! CO-

25.
CORONIDIS LOCO

Quæſita:

1. **N**um rectè Piccolomineus in In-
trod. ad 10. grad. civil. Philos.
c. 22. p. 46. affirmet, disciplinas practi-
cas non minus ac Theoreticas methodo
Syntbeticâ proponi posse? Neg.

2. **N**um motus fluviorum sit merè
naturalis, violentus, aut mix-
tus? Affirm. ultimum.

3. **A**n inter cives locus dandus Po-
ëtis? Affirm.

4. **N**um Syllogismus Expositorius sit
verè Syllogismus? Disting.

5. **A**n Conciones Ecclesiastica ple-
ræq; referenda sint ad Genus
causæ Deliberativum in Rhetoricis? Af-
firm.

Quia suadent veram fidem ac pietatem, &
dissuadent his contraria.

6. An

6. **A**n rectius definiatur Syllogismus per rationem, quàm per Orationem? Affirm.

Quia magis facit ad finem Logicæ externum, qui sine collectione, & usu rationis attingi nequit. 2. Tota insuper Logica est instrumentum dirigendæ rationis, non orationis principaliter, E. etiam nobilis ejus pars, vid. Syllogismus. 3. Quia porrò veritas est in ratione priùs, quàm in oratione. Et 4. deniq; Oratio se habet ad Syllogismum per accidens: potest enim confici à tacente. Nisi quis forsan vocabulum λόγος, in generali suâ latitudine velit capere, prout complectitur etiam ἐνδοκράτειον, & notat orationem mentalem seu Internam.

7. **A**n semper à Comparativo ad positivum affirmativè detur consequentia? Neg.

Comparativus enim sumitur dupliciter
1. *Propriè*, per suum positivum cum adverbio magis: Sic v. g. levius notat idem, quod magis leve: melius, i. e. magis bonum. Et
sic

fic V. C. eruditio est melior divitiis, i.e. magis bona. 2. *Improprie*, per oppositum sui positivi cum adverbio minus; sic levius idem est ac minus grave, & melius idem, quod minus malum. Sic non V. C. affirmativè: Aqua est levior terrâ, E. est levis. Simplex furtum est melius sacrilegio; E. furtum est bonum. Sed sic tantum: E. est minus malum. *Vid. Lovaniens. super Topic. Arist.*

Τ. Θ. Δ.

RESPONDENTI MEO

χάριν καὶ εὐπραξίαν!

Cuî pectus fodicat generosum candida virtus,

Quemq; Bonum summum nocte dieq; lacit;

Cuiq; DEI timor est, & spes sedet alma salutis,

Is segrex vitio patrat ubiq; bonum.

Invigilans studiis, juvenilia ludrica spernit,

Nec sinit ignavos præterisse dies.

Est

*Est candoris amans, sapientum dog-
mata discit,*

ETHICA VIRTUTES *quas do-
cet, ipse colit.*

*Est q̄ bona cupidus fama, pius atq̄ mo-
destus,*

*Ut SUMMI compos fiat ubiq̄ BONI.
Hoc, ALBINE, decus studio seēt aberis
omni,*

*Ut par defuncto sis pietate Patri.
Inde piæ Matris, Magnorum & vota
Virorum*

*Ut complere queas, Te DEUS ipse
iuret!*

vovebam paterno animo

PRÆSES.

Man sieht es aus der that / was tapffere Gemü-
ther /

Und die sich gründen nicht auf Reichthum / Geld
und Güter.

Der hat den zweck erreicht / das ist ein rechter
Held /

Der Tugend für das Gold / und Ruhm hält

Darum bistu / mein Freund / auch lobens werth
zu schätzen /

Weil du alleine nur wilt deine Sinnen wezen
An dem / was Ehr und Ruhm und Tugend
bringet dir /

Und suchest emsiglich des rechten Lebens Zier.
O selig der ihm diß fürsetz bald in der Jugend /
Das er nach frömmigkeit nur tracht / nach kunst
und Tugend /

Der es so fänget an / als icht du mein Freund /

**Wer es mit Gott und kunst und
Tugend treulich meint /**

Der ist am besten dran / und kan sich allzeit freuen
In wiederwertigkeit / Er darf sich gar nicht scheuen
vor einem bösen Maul. Weil sie den neid erstift
Und keinen / der sie liebt / läst werden unterdrückt.
Drum hastu diesen zweck nunmehr fast auch errei-
chet /

Wol dir nun / so davon dein muth und Sinn nicht
weicht.

Dann so du allezeit / wie icht / so fährest fort /
So bringet Tugend dich hin an des Glückes
Port.

Seinem werthen Freunde und
Tischgenossen eilfertigte
dieses

Adam von Wolffersdorff
Eq. Lusatus.

Virtutem pauci, vitii vestigia multi
 Sectantur, quotquot vita sinistra tra-
 hit.


*Dumq̄ voluptatum delinimenta juvenus
 Appetit, in vitium lubrica turba ruit.*

*Ne fiat, Tibi cura sedet, perchare Sodalis,
 Ex Ethicis mores discere ritè bonos.*

*Perge bonos mores, Virtutis amare decusq̄,
 Sic virtus olim pramia larga dabit.*

Hæc paucula cum voto
 perennis felicitatis
 scribebam
 συασίῳ meo

Tobias Rudolphus VVal-
 burger Grôbzigâ-An-
 haltinus.



65604

Handwritten text, possibly a title or description, partially obscured by the label.


ULB Halle


3

007 397 542



VD 17





B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Fortunante Christo!
 CITATIONUM ETHICARUM
 Ethica Arist. ad Nicomachum
 PROOEMIALIS
 DE
RECOGNITIS
ETHICES,
Praside
 DN.
DERICO CAHLE.
 M. & P. L. C. Gymn. Hall,
 Rectore celeberrimo,
 Respondente
CHAELE ALBINO
Gedanensi Borusso,
 Gymnasio hinc abituriente
 da. D. IV. IDUS MARTIAS
 A. O. R. M. DC. LV.
 majori Auditorio horis
 antemeridianis.
 *****)
Literis Salfeldianis.

Handwritten notes in the right margin.